



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Statv Religionis Christianae, Per Evropam, Asiam,
Africanam, Et Orbem Nouum, Libri IV.**

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1619

Cap. II. De Iacobitis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11108

CAPVT II.

DE IACOBITIS.

IN Oriente variæ sunt nationes hominum Christianorum, vt *Iacobita*, *Maronita*, *Nestoriani*, *Armenij*, *Cophti*, *Melchita*, *Georgiani*, & alij, partim orthodoxi, partim schismatici.

Iacobitæ dispersi sunt per ciuitates, terras & opida *Syriæ*, *Mesopotamiæ*, & *Babyloniæ*, alijs nationibus mixti, & numerum quinquaginta millium familiarum facillè excedunt; pauperuli plerique ac quotidiano labore victum quæritantes. In *Aleppo* tamen & *Caramet*, multæ sunt diuites & honestarum facultatum familiæ, aliæque mercaturam exercentes. Ecclesia Patriarchalis huius nationis est in *Mesopotamia*, extra urbem *Moradin*, in monasterio *Zafra*: sed Patriarcha residet in vrbe *Caramet*, ad maiorem sui ac suorum commoditatem & quietem. Sub eius obedientia viuunt hodie *Ierosolymitanus* & *Musalensis* Metropolitanus, *Damascenus*, *Edeffanus*, *Cyprius* & *Caramitanus* Archiepiscopi, itemque Episcopi in *Atafra*, *Salach*, *Tarach*, *Maaden*, *Hartbert*, & alij non pauci.

De *Iacobitis*, eorumque erroribus vide plura in nostra *Notitia Episcopatum* lib. I. cap.

cap. 15. & infra cap. 5. ex Petri Strozæ Disputatione de Chaldæorum dogmatibus.

CAPVT III.

DE MARONITIS.

Maronitæ Pontificis Romani doctrinam constantè obseruant, & Libanum Syriæ montem ferè incolunt. Nonnulli tamen & Damasci, Aleppi atq; in Cypro agunt. Horum omnium Patriarcha sedem habet in monte Libano, in loco, qui dicitur *Chenubin*, siue in cœnobio monachorum ordinis S. Antonij, quod XX. passuum millibus distat à Tripoli Syriæ vrbē, mercatu celebri. Huic suffraganei sunt octo aut nouem Episcopi, vtunturq; linguâ Chaldæâ in sacris, Arabicâ autem vulgariter. Nationis huius Patriarcha, Innocē. III. Pōtifice, Cōc. Lateranensi interfuit. Maronitarum hodie Patriarcha titulum Patriarchæ Antiocheni ambit, allegatq; diplomata à Paulo II. Hadriano VI. alijsq; Pontificibus data. In Hadriani VI. diplomate XXII. die Octobris M.D. XXII. dato sic legitur: *Venerabili Fratri Petro Patriarchæ, sedenti supra sedem Antiochenam.* De his plura vide apud Vitriacum lib. 1. cap. 78. Tyrium lib. 22. cap. 8. & Baronium tom. XII. Annaliū, in fine an. M. C. LXXXII.